

facetus, hilaris & largus. In Bohemos rebelles, nec annuum censum persoluentes copias ductavit, gentem eam attriuit, Ducemque Vra-
tislauum cepit, ac annuū sibi pendere tributum coegit. Petrum Regem
ab Hungaris eiectum, restituit Aba Rege interfecto, Hungariamq;
variis agitatam motibus sedauit ac quietam reddidit. Lotharingia
quoque Ducem, vt imperio pareret, subegit. Romæ tres Pontifices
de papatu simul concertantes reiecit, Pontificiæ sedi Suidegero 11.
Bambergensis Antistite, qui postea Clemens secundus appellatus,
præfecto. Et vt caueret in posterum summorum pontificum securita-
ti, Romanos iureiurando adegit, nullum sine eius permissu crean-
dum Pontificem. Inde apud Capuam Sarracenos vicit, eaque nouo
præsidio firmata in Germaniam reuersus, Moguntia Synodum,
Leone Papa præsentem, celebrauit. Cū nonem Bauaria Ducem, Hun-
garorum conspiratione fretum, regniq; possessionem ad se trans-
ferre conantem, vicit, suoque Ducatu priuauit, qui totam aetatem
suam exul in Hungaria transegit. Cūque xviii. annis impe-
rium tenuisset, Henrico filio annos v. nato Cæsare electo, & Aquif-
grani coronato, aegritudine correptus, decessit, Aetatis anno xxxix.
Salutis M. lvi. iiii. nonas Octobris.

CHVNEGVDIM Regis Anglorum Cynitonis filiam, in
vxorem habuit Henricus, quam ob adulterii suspicionem, repudia-
uit, & in cœnobio Monialium adegit.

AGNES Gulielmi Pictauia Principis, & Aquitania Ducis filia,
secundi Henrici vxor, fœmina longè prudentissima. Hac peperit
tres filios, Iuditham, Mathildim & Itam, ac duos filios, Henri-
cum Imperatorem, & Conradū Bauaria Ducem. Post
mariti obitum cum filio Henrico Imperium ad-
ministravit. Sed à gubernatione reiecta,
Romam se contulit, ac religiosis-
simè vsque ad obitum
xx. annis
vixit.

N 3

HEN